



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Formularium Episcopale**

**Barbosa, Agostinho**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Formula LXXVII. Vnionis praebendae, dignitati Ecclesiae Cathedralis  
faciendae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10456**

## FORMULA LXXVII.

*Unionis tenuis præbende, dignitati Ecclesia Cathedralis faciendæ.*

**D**Rodericus, &c. Universis & singulis literas præsentis nostras unionis, & incorporationis inspecturis & lecturis, tam præsentibus quam futuris, salutem in Domino. Notum facimus, & attestamur, qualiter in generali visitatione per nos facta in nostra Civitate, & diœcesi Bracharenfi, reperimus Ecclesiam, seu Capellam, sine cura sub invocatione S. N. instructam & ædificatam in terra N. destitutam esse legitimo Rectore quam Ecclesiam seu Capellam, ad hoc, ut servitium dignitatis N. existentis in nostra Cathedrali magis accrescat, & facilius supportari possit, præbendæ dictæ dignitatis N. & ejus possessori & successori pro tempore existenti, & legitime intranti unâ cum juribus, introitibus, redditibus, & proventibus applicavimus, prout præsentium tenore applicamus, unimus, annectimus, & incorporamus, illamque Ecclesiam, seu Capellam, jura introitus, proventus, & redditus quomodolibet ad illam spectantes & pertinentes, ex nunc, perpetuo & in futurum prædictæ dignitati N. & ejus præsentis, & pro tempore existenti possessori in præbendam conferimus, & assignamus. Decernentes, alteri cuicumque provideri in futurum minimè posse, ac provisiones quaslibet

castamus, irritamus & annullamus, & irritas fore esse declaramus. In quorum omnium fidem &c.

## FORMULA LXXVIII.

*Unionis duarum Capellaniarum in Ecclesia Collegiata cum dismembratione fructum alterius.*

**D**Rodericus &c. Cùm in Ecclesia Collegiata S. N. oppidi N. hujus nostræ diœcesis duæ ad sint capellaniæ, una sub invocatione sancti N. quam olim obtinebat Presbyter N. & modo vacat per provisionem ejusdem ad Ecclesiam Parochialem S. N. alteram vero sub invocatione S. B. quam olim obtinebat presbyter N. & modo per ipsius obitum de mense februarii proxime præteriti, nobis verè & personaliter residentibus, ac alternativè beneficio gaudentibus vacat, ambæ æqualis oneris & servitii, Missas videlicet celebrandi, & Horas Canonicas in choro recitandi, imparis tamen redditus, & valoris. Capellania enim sancti B. ad viginti, illa verò sancti N. ad triginta scutorum monetæ valorem ascendit. Propterea cupientes, ut cultus divinus augeatur, & ministri Ecclesiæ ad Dei servitium magis animentur cum juxta illud Apostoli, qui altari servit, de altari vivere debeat, nec unus quidem esuriat, alius ebrius sit; statuimus & decernimus, ut dicta capella sancti B. dismembratur, disjuniatur, ac separetur, & dicta capella sancti N. perpetuo una-